Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1423
Quelle:
Copyright:

am legationibus. Primum igitur singulos ordine perstringit Articulos, dein subjectae Dissertationis autoritates et rationes diluit. Ad Articulum *ult.* quo omnis Clerus *Pragensis* M. M. *Johanni Przibram* et *Procopio de Plzna* subjicitur, ait, exploratum se non habere, an praedicti Magistri oblatam potestatem acceptare decreverint. Interim esse, *qui se in publicatione omnium premissorum articulorum in pretorio pragensi presentem fuisse asseruit, et scedulam manu alterius predictorum scriptam, alterius vero palam ore prolatam et lectam ac dominis Canonicis Castri pragens. oblatam, vt statim ad eam responderent, agitatione quadam non modica preuia et oculis perspexisse, et auribus singula clarius deprehendisse constanter me coram posito astruebat. E regione vero quandam excusatoriam vnius antedictorum audiui Epistolam.*

Fol. 289. Crisis ejusdem in *Sigismundi* Imp. Literas datas *Bohemis* et *Moravis Albae Regalis 6. Jan.* 1436. quae leguntur in *Leibnit. Mantissa II. Cod. Jur. Gent.* p. 141. Incipit: *Sicut crebro luctus post gaudia, et post tenebrosa iubar solet accedere* &c. Magna libertate Indultum illud *plurimum dampnosum ymo uerius irrationale et scandalosum Ecclesie* compellat, de quo interrogati Ministri *suffusi rubore rem ipsam falsitate tegebant, que pridem emerserat in palam, quando et hujus iniquitatis copie sparguntur per orbem* &c. Sed enim, ut calx testatur, fuit hoc *scriptum Wyenne per T. de Hastpach* 1455. *24. Julij.* Ceterum singulas concessiones in illis Literis circa Clerum et S. Coenam factas convellit.

Fol. 303. Epistolaris Ejusdem Dissertatio VIII. *Capitibus* distincta ad memoratum *fol.* 256. *Przibislaum Abbatem Monasterij in prugk prope Znoymam*, quem *columpnam in hijs oris inter caliginosos lucentem* adpellat, de Scheda sibi a quodam Sacerdote *Bohemo* ignota facie oblata erroribus plena, de quibus sententiam rogatus esset. Sunt vero errores hi: Nullum in peccato mortali existentem Ecclesiae Catholicae membrum existere; solos Praedestinatos esse membra Ecclesiae; Communionem sub Utraque esse de praecepto Christi et necessitate salutis. His igitur magno rationum et autoritatum adparatu obviam itur ab exercitatissimo Pugile, qui incipit: *Ipse Christus dominus Ecclesie sancte caput custos et sponsus* &c. et subsignat: *Wyenne Anno domini 1447. in festis sanctis Pentec.* Exemplum istud primae meditationis est multum retractatum, interpolatum et subpletum.

Fol. 319. Ejusdem Responsa ad III. Puncta eidem ad deliberandum proposita: I. *An Johannes de Rokyczano possit licite et expedienter ad Ecclesiam pragensem pro Archiepiscopo confirmari?* II. *An expediat Ecclesie Apostolicam sedem communionem duplicis speciei Eukaristie pro Boemis et moraui confirmare?* III. *An priuilegia vniuersitatis pragen. sint pro presenti per sedem Apostolicam confirman-*